

annem in Ponto, vt superuolantes quamuis alte perniciterq; salites haustu raptas absorbeat. Nota est in Punicis bellis ad flumen Bagradam à Regulo imperatore ballistis tormentisq; vt oppidum aliquod, expugnata serpens cxx. pedum longitudinis. Pellis eius maxillæq; usq; ad bellum Numantinum durauere Romæ in templo. Faciunt his fidem in Italia appellata boæ: in tantâ amplitudinē exeuntes, vt diuo Claudio principe, occisæ in Vaticano solidus in aluo aspectatus sit infans. Aluntur primo bubuli lactis succo, unde nomē traxere. Cæterorum animalium, quæ modo conuecta vndique Italia contingere sæpius, formas nihil attinet scrupulose referre.

De Scythicis animalibus & septentrionalibus.

CAP. XV.

Paucissima Scythia gignit, inopia fruticum: pauca cõtermina illi Germania: insignia tamen boni ferorū genera, iubatos bisontes, excellētīq; & ui & velocitate vros, quibus imperitū vulgus bubalorū nomen imponit, cū id gignat Africa, vituli potius ceruicis quadam similitudine, Septētrio fert & equorum greges ferorum, sicut asinorum Asia & Africa: præterea alcen, ni proceritas aurū et ceruicis distinguat, iumento similem. Item notam in Scandinauia insula, nec vnquam visam in hoc orbe, multis tamē narratā, machlin, haud dissimilē illi, sed nullo suffraginū flexu: ideoq; non cubatē, sed accliuē arbori in somno, eaq; incisa ad insidias capi, alias velocitatis memorata. Labrum ei superius prægrande: ob id retrograditur in pascendo, ne in priora tendens inuoluatur. Tradunt in Paonia ferā, quæ bonasus vocetur, equina iuba, cætera tauro similē, cornibus ita in se inflexis, vt nō sint vtilia pugnae, quapropter fuga sibi auxiliari, reddentem ea finium interdum & trium iugerum longitudine: cuius contactus sequentes, vt ignis aliquis, amburat. Mirum pardos, pantheras, leones, & similia, condito in corporis vaginas vnguium mucrone, ne refringatur hebeteturq; ingredit: auersisq; falculis currere, nec nisi appetendo protendere.

De leonibus.

CAP. XVI.

Leonis præcipua generositas, tunc cum colla armosq; vestiunt iuba. Id enim atate contingit e leone cõceptis. Quos uero pardi generauere, semper in signi hoc carēt. Simili modo feminae. Magna ijs libido coitus, & ob hoc maribus ira. Africa hæc maxime spectat, inopia aquarum ad paucos amnes cõgregantibus se feris. Ideo multiformes ibi animalium partus, uarie feminis cuiusq; generis mares aut vi aut uoluptate miscente. Vnde etiā vulgare Græciæ dictum, Semper aliquid noui Africam afferre. Odore pardi coitum sentit in adultera leo, totaq; vi cõsurgit in pœnam. Idcirco aut culpa flumine abluitur, aut longius comitatur. Semel autem edi partum, lacerato vnguiū acie vtero in enixu, vulgum credidisse video. Aristoteles diuersa tradit, vir quē in ijs magna secuturus in parte præfandū reor: Alexandro Magno rege inflam

mato cupidine animalium naturas noscēdi, delegataq; hac cõmentatione Aristoteli, summo in omni doctrina viro, aliquot milia hominum in totius Asia Græciæq; tractu parere iussa, omnium quos venatus, aucupia, piscatusq; alebant: quibusq; viuaria, armenta, aluearia, piscinae, auaria in cura erant: ne quid vsquam genitum ignoraretur ab eo: quos percontando, quinquaginta ferme volumina illa p̄clara de animalibus condidit: quæ à me collecta in arctū cum ijs quæ ignorauerat, quæso vt legentes boni cõsulant, in vniuersis rerū natura operibus, medioq; clarissimi regū omnium desiderio cura nostra breuiter peregrinantes. Is ergo tradit leonā primo fetu parere v. catulos, ac per annos singulos vno minus, ab vno sterilescere. Informes minimasq; carnes magnitudine mustelarū esse inuoi, semestres vix ingredi posse, nec nisi bimestrē moueri. In Europa autem inter Acheloum tantū & Nestum amnes leones esse, sed longe viribus præstantiores ijs quos Africa aut Syria gignant. Leonum duo genera, compactile & breue crispioribus iubis. Hos pauidiores esse quàm longo simpliciq; villo, eos contemptores vulnere. Vrinā mares crure sublato reddere vt canes: grauem odorem, nec minus halitū: raros in potu, vsci alternis diebus: à saturitate interim triduo cibus carere. Quæ possint in mandendo solida deuorare: nec capiente aluo, cõiectis in fauces vnguib; extrahere, vt (si fugiendum sit) non in satietatem abeant. Vitam ijs longam docet argumēto, quod pleriq; dentibus defecti reperiantur. Polybius Aemiliani comes, in senecta hominem appeti ab ijs refert, quoniam ad persequendas feras vires non superāt. Tunc obsidere Africa vrbes: eaq; de causa crucifixos vidisse se cum Scipione: quia ceteri metu pœnæ similis absterrentur eadē noxa. Leoni tantum ex feris clementia in supplices: prostratis parcat: & vbi saeuit, in viros * prius q̄ * potius in feminas fremit, in infantes non nisi magna fame. Credit Libya intellectu peruenire ad eos precum. Captiuam certe Getuliæ reducem audiui, multorum in syluis impetum à se mitigatū alloquio, ausa dicere se femina, profugam, infirmā, supplicē animalis omnium generosissimi, cæterisq; imperatis, indignā eius gloria prædā. Varia circa hæc opinio ex ingenio cuiusq; vel casu, mulceri alloquijs feras: quippe vbi etiā serpētes extrahi cantu, cogiq; in pœnam, verum falsumue sit, vita nō decreuerit. Leonum animi index cauda, sicut & equorum aures. Nanque & has notas generosissimo cuique natura tribuit. Immota ergo placidus, clemens, blandiētīq; similis, quod rarū est: crebrior enim iracūdia eius. In principio terra verberatur: incremēto terga, ceu quodā incitāmēto, flagellantur. Vis summa in pectore. Ex omni vulnere, siue vngue impresso siue dente, ater profluit sanguis. Iidem satiati, innoxij sunt. Generositas maxime in periculis deprahēditur: nō in illo tantūmodo, q̄ spernēs tela diu se terrore soluetur ac velut cogi testatur: cooriturq; nō tanquam periculo coactus, sed tãq; amētia iratus. Illa nobilior animi